



Cum ante hoc quadriennium Borhekius Vir Clarissimus a me per litteras petiisset, ut, cum ipse Aeschyli tragoediarum nouam moliretur editionem, ego sibi lectionis varietatem e codice Academicæ bibliothecæ Vitebergensis suppeditarem: equidem, cum vt recens aduentum plane ignorarem, quales libri in bibliotheca exstarent, vt honestissimis et aequissimis Viri de Graecis litteris optime merentis precibus satisfacerem, extemplo consului de hac re eum, qui illo ipso tempore munus custodis bibliothecæ gerebat. Hic vero, quibus causis adductus nescio, negauit, eiusmodi codicem Vitebergae exstare. Igitur cum de hominis fide non dubitarem, et in hanc opinionem facile inductus esset, vt crederem, codicem illum, si olim hic fuisset, aut casu quodam periisse, aut hominum siue incuria siue iniuria sublatum euanuisse; respondi vt rem putabam, et ita, quamquam sine culpa mea, vanus mendaxque exsteti. Nam cum ante hos paucos dies casu quodam in Sennerti Athenas incidisset, ibique in catalogo librorum philosophicorum codicem Lycophronis, Hesiodi, Aeschyli et Cleomedis notatum reperisse: statim rei nouitate commotus ipsam adii bibliothecam, et facile quem quaerebam reperi. Est vero codex chartaceus, seculo circiter tertio et decimo scriptus, qui, praeter Lycophronem cum Tzetzis commentario, Hesiodium cum commentario, Cleomedem de Circulis, priorem partem Euripidis Hecubae, (de quorum librorum lectionis varietate alio tempore videbimus.) continet tres Aeschyli tragedias priores, sed foliis aliquot mutilatas, Prometheus vincitum, Septem contra Thebas et Persas, cum scholiis et breuioribus inter versus et longioribus penso cuique adiectis. Haec scholia quidem fere cum vulgatis conueniunt, sed interdum discrepant exhibentque luculentiorem verborum rerumque explicationem. Etsi autem textus ipse haud raro, fateor, vitiis librarii crassioribus laborat: continet tamen interdum lectiones bonas et vulgatis haud dubie praeferendas. Contuli igitur illas tragedias cum editione Aeschyli Stanleiana, quac anno proximi seculi sexagesimo tertio Londini prodiit, et discepantiam lectionis bonam malamque in hac prolusione lectoribus seu potius editoribus Aeschyli exhibui.

A 2

AD